



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 41. Et dixit discipulis: sedete hic, donec vadam illuc & orem. v. 38.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

tu, quod verbo promiserant. Pulchre autem venit cum illis in villam Gersemani, quæ interpretatur vallis pinguiſſima, ut demonstraret per vallem humilitatem & per pinguedinem, charitatem, quibus instructus & armatus Dominus mortem pro nobis susceperat, ut nos doceret, simul ipſo etiam loci nomine quid assidue intendere & desiderare tanti Magistri discipuli debeamus, nempe humilitatem nobis, & Deo caritatem.

Obfecro Domine duc & me tecum ad hanc villam Gersemani pinguiſſimam humilitatis & charitatis, ut ibi & in pinguedine harum virtutum tibi seruiam omnibus diebus vitæ meæ.

41. Et dixit discipulis: sedete hic, donec vadam illuc & orem. v. 38.

Ecce ipsam humilitatē & maxime caritatē quā statim Dominus in valle pinguiſſima expromit: lubet enim discipulos sedere, post diurnos labores, quod est charitatis, & ipse ad orationem se ire profiteretur, quod est humilitatis. Ipse autem, verē Salvator Mundi, interim passionem inchoat, orationem orditur, à quā nullam sibi requiem concessit, egregium factus exemplum gregis sui.

Domine dedisti in omni actione tua exemplum doctrinæ & pietatis: hic ut disceremus in quibus locis & occasionibus sit orandum, ut semper à tumultibus hominum in abscondito preces fundamus, quia maiori id cum pietate & affectu preſtare possumus, sensus enim solitudine magis colliguntur & illis collectis anima quietius irroratur.

O Domine, da gratiam, ut meas causas acturus in abscondito potius quætam orare quam inter strepitus & tumultus hominū, ut tecum unitus percipere merear quæ posco ad tui nominis gloriam & meam totiusq; populi Christiani salutem, quando vero in Ecclesia cum & coram alijs orare me oportet, tunc sensus meos claudam, ne per fenestras eorum mors intrare valeat.

§. 42. Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi. v. 38.

Cur Dominus tantum hos tres discipulos & non plures aut alios secum assumpserit. Prima ratio esse potest, quia hi tres testes fuerant suæ glorificationis in monte Thabor, ut sic iidem essent quoque testes inicij suæ Passionis, in valle Gersemani. Secunda quia Petrus erat Vicarius Christi futurus in Ecclesia Dei, (a) Joannes Christi Secretarius & quidem intimus, (b) Iacobus primus ex Apostolis calicem bibiturus, (c) 3. quia hi tres maximum habebant zelum tuendæ gloriæ Christi,

Pe-

a ut disceret pati pro ea; b ut scriberes vere e. ut exemplis caperes & confortaretur.